

illum judicet; feci quod dolebo nunquam, quod conterraneo nollem et possem præstare. Utinam daretur occasio declarandi affectum in genuinum Tuum filium, quod vereor me in spurium commisisse. Hisce omnibus sepositis, tamen obtuli ei omnia, si velit adhuc reportabit animum meum, eam tantum ob causam, ut non ingratus moriar, qui tanta a te reportavi, quanta a nullo alio mortalium.

Utinam daretur occasio mittendi; si velis indicare aliquem Holmiæ cui possem ad te tradere tractatus; si non tum habeas omnia, ego in culpâ ero.

Desino et termino litteras eâ contestatione quod quamdiu vixero, ero pius tuus cultor et tibi magis quam ullo mortalium, exceptâ unice uxore, cultor certissimus devotissimus.

Plurima officia dicas amicissimæ D^{na} Bassaport, de quâ in somniis loquor; erit mea altera uxor nolens volens, si viduus permansero.

Pete ab eâ ut mihi det pictum et exsiccatum specimen Loniceræ illius Canadensis repentis quam plantam puto esse Linnææ speciem.*

Vale et vive.

Dabam in itinere Scanico constitutus, die 12 Aprilis 1749.

C: LINNÆUS.

BOTANICO SUMMO

DD. BERNH. DE JUSSIEU,

S. PL. D.

CAROLUS LINNÆUS.

A PRIMO vere in hoc usque tempus occupatus fui in itinere Scanico quod nunc absolvi et Upsaliæ redditus sum; proinde et mihi primum erit Te, quem maximi semper facio et cui plura grata et curiosa accepta refero, interpellere.

Semina ista rarissima quæ liberalissimâ manu et in ingenti copiâ misisti, accepi; plures inde natæ plantæ feliciter crescunt: Passiflora foliis bilobis peltatis; item *Grenadilla* folio tricuspidato obtuso *Fen.*; *Tournefortia* caule volubili foliis glabris; *Sphæranthus*; *Coix* seminibus angulatis; *Poterium* spinosum; *Datisca* s. *Cannabina cretica*; *Coreopsis* foliis verticillatis *Gron.*; *Rudbeckia* quæ *Obeliscotheca integrifolia Dill. Elth.*; *Glycyrrhiza* leguminibus glabris; *Corylifolia*; *Fumana lutea*; *Ketmia bras.* folio ficus, p. pyramidato sulcato *Tournef.*; *Dodartia*; *Malva frutesc. hirsuta*, fl. luteis in capitulum congestis *Plum.*: *Capraria curassavica*; *Sida* foliis ovato-lanceo-

* Vide infra, not. † ad p. 216.